



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 7. Congregationes ad prosequenda Synodi negotia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

longe fortiores ostentavit animi spiritus. **Sæcul. XV.**
Hinc Friburgi ad Synodum dedit epi- **A. C. 1415.**
stolam, in qua Pontificatus sui cessionem
huic conditioni subjecit, si Imperator ta-
les publicæ fidei literas, quales ipse pe-
teret, sibi concessurus esset; postulabat
autem, ut ei Concilium post cessionem
impertiretur plenam, atque eandem
securitatem ac libertatem, qua antea
gavisus fuisset, item, ut sibi in ditionibus
Ducis Austriæ, adversus quem bellum
ponendum foret, sine metu morari lice-
ret, necnon facta Papatus abdicatione
ei dignitas Cardinalis Legati perpetui
universæ Ecclesiæ deferretur, aut ad dies
vitæ tractum Bononiensem, & Avenio-
nensem Comitatum consequeretur, præ-
ter annuam pensionem triginta millium
aureorum; Venetiis, Florentia, atque
Janua in securitatem debiti oppignoratis.
Denique, ut nullius, quiscunque demum
foret, imperio subjiceretur, atque immu-
nis esset a reddenda ratione omnium ha-
ctenus a se gestorum, aut imposterum ge-
rendorum.

§. VII.

*Congregationes ad prosequenda Sy-
nodi negotia.*

Interea vix non singulis diebus Nationes
conventus suos agebant. In Congre-
A 4 gatio-

Sæcul. XV. gatione die nona Aprilis habita unum
A.C. 1415: ex qualibet Natione Prælatum ad Cardi-
nalem Vivariensem ablegant, eidem si-
gnificantes, ut officio suo pro more fun-
geretur; quibus Vivariensis pollicitus est,
se utpote S.R.E. Vice-Cancellarium de
rebus gestis literas expediturum, jusque
litigantibus partibus dicturum; negavit
tamen, se Consistorium sine expresso Pon-
tificis jussu unquam coacturum. His
peractis Nationum Deputati negotium
dant Cardinali Cameracensi, ut examen
materiarum fidei in caussa Wiclefi, &
Joannis Hussi prosequeretur, illius rela-
tionem, quamprimum jussus fuisset, ad
Synodum delaturus. Hic doctrinam qui-
dem discutere suscepit, judiciariam vero
actionem Cardinalibus S. Marci, & Flo-
rentino, utpote Jurisperitis reliquit. Po-
stridie sex Cardinales, antea cum Joanne
Papa commorati, cum illorum securitati
datis publicæ fidei literis satis cautum
effet, Constantiam redierunt. Verum u-
bi cognovit Imperator a quibusdam fidei
publicæ literas in abusum trahi, has illis,
qui intra debitum tempus eis usi non
fuissent, minime suffragari consentiente
Synodo declaravit, cuius rei Diploma die
decima tertia Aprilis hoc anno editum est.